

# D i s s e r t a t i o

inauguralis medica

de

## FEBRE PUERPERALI

---

Quam annuente

Inclyta Facultate Medica

Regiae Scientiarum Universitatis

Hungaricae Pestiensis

pro gradu Doctoris Medicinae legitime consequen-  
do publicae disquisitioni submittit

Carolus Bobor de Hájník.

---

In Theses calci operis adnexas disputabitur in Universitatis  
Palatio majore die 28 Mensis Junii 1816.

---

P e s t i n i ,

Typis Joannis Thomae Trattner.

Vix ullus unquam indolem , decursum , curatio-  
nem , ipsumque mortis inferendae modum di-  
versarum adeo , per Puerperium quippe velut  
ad unam familiam conscriptarum Februm  
specialiter percensebit , aut sermone disper-  
tietur , sed plurima perspectanda nonnisi ad  
aegrarum lectos sunt.

BOËR

Naturalis medicinae  
obstetriciae libro quarto

---

## Introductio.

**I**n determinanda causa proxima, natura ac therapia febris puerperalis, Auctores adeo differunt, ut contrarias quoque, hoc de objecto, sententias protulerint.

Dissensionis vero hujus ratio illa est, quod stabilitum communi consensu non fuerit: in quantum morbus hic, puerperis so-lum proprius, peculiarisque sit indolis; vel an quaelibet febris, in periodum puerperii cadens, pro febre puerperali haberi debeat, ex eo, quod puerperam, et non aliud, individuum comprehendat?

Praesentis Opusculi scopus non est, doctrinam de febre puerperali ad supremum quoddam principium, unde quaestionum harum resolutio sponte flueret, strictim, reducere; quin potius, multilateralem, historicum magis quam dogmaticum sermonem faciam; cujus causam in sequentibus me daturum confido; hunc in Thematis, perardui sane, cla-

boratione, ordinem sequuturus: ut primum symptomata, successiones, effectus in cadaveribus superstites, et causas febris puerperalis enumerem; tum Auctorum theorias de morbo hoc, indolem ejus et differentias, prognosim, postremo therapiam exponam.

## Symptomata febris puerperalis.

Exoritur febris puerperalis, aliquando brevi ante partum tempore, aliquando sub ipso partu, saepe illico, communiter tamen secundo usque quintum diem post partum, quo tempore febris lactea mulierem tenet, frequenter tardius, secunda aut remotiori fors hebdomada puerperii.

Etiam, post abortum, et quidem non raro, erumpit; cum eae ipsae causae, quae illum producunt, ipsam febrem puerperalem excitent.

Completur cum fortiori aut mitiori, longiori aut breviori frigore; subsequenter horripilationes parvae rursus adveniunt. — Calor, qui frigus excipit, jam est moderatus, jam major, aliquando summe intensus et urens.

Febris, nunc paulatim tantum increscit, nunc cito summum gradum adipiscitur; ut plurimum continua remittens est, cum exacerbationibus vespertinis, vix unquam intermittens.

Pulsus diversus est; jam fortis, jam debilis, jam magnus, jam parvus, jam celer, jam tardus, in toto valde variabilis et inordinatus, communiter aliquantum tensus.

Communissima, at non semper simul praesentia symptomata, quae frigus, nunc praecedunt, nunc consequuntur, et cum exacerbationibus febrilibus increscunt, remissionibus autem decrescunt, sunt sequentia:

Dolor abdominis, qui constantissimum febris puerperalis symptoma, jam in uno tantum loco, potissimum in regione umbilicali, sed et hypogastrio, lumbis etc. jam in pluribus locis residet, frequentissime tamen per totum abdomen extenditur; dolor capitis, praecipue in fronte; oppressio pectoris, saepe anxietas nimia; dolor in dorso, collo, femoribus, coxis, mammis, inter scapulas.

Dolor, pressio et tensio in epigastrio, nausea, vomituritio, vomitus; lingua alba, flava, sordida; sapor oris depravatus; sitis.

Brevis respiratio; tensus sensibile abdomen; agrypnia; lassitudo; inquietudo; obstipatio alvi vel diarrhoea; molestus inanis nisus alvum ac urinam evacuandi; dedolatio; debilitas; suspiria; ejulatus; sensibilitas oculorum; tinnitus aurium.

Urina jam est flammea, jam pallida, jam turbida, enaeoremate instructa.

His Symptomatibus accedunt pro ratione circumstantiarum et gradus morbi adhuc alia,

ut: tremor artuum; singultus; diarrhoea colliquativa; lingua dura, sicca, nigra; abdomen nimis extensum, resonans, summopere sensibile; tussis; dolores pungentes pectoris; copiosi, debilitantes sudores; aphthae, miliaria, petechiae, scarlatina; deglutitio difficilis; vomitus post deglutita quaevis; spasmi diversissimi; haemorrhagiae narium, oris etc.; frigus extremitatum; animi deliquia; difficilis loquela; cutis sicca urens; deliria; maculae variae, tubercula ac tumores in cute; subsultus tendinum; sopor; paralyses diversarum partium, oculorum, extremitatum etc.

Lochia, nonnunquam statim cum exordio febris, supprimuntur, vel minori fluunt quantitate; nonnunquam hae anomaliae tardius observantur; saepe repente cessant, saepe lente tantum minuuntur. Aliquando ab exordio morbi usque finem fluere continuant; saepe cum ingratisimo, totum cubile defoedante foetore; aliquando sunt purulenta, ichorosa.

Interdum mammae usque mortem eandem quantitatem lactis secernunt, in aliis casibus secretio lactis minor fit; ipsum lac nonnunquam est tenue, flavo virescens; aliquando ambae mammae repente flaccescunt, et omne lac disparet; aliquando plane nulla secretio lactis observatur.

### Successiones febris puerperalis.

Decursus febris puerperalis peracutus est; intra 7 ad summum 14 dies terminatur; et

quidem vel abit in sanitatem, vel morbos alios, vel mortem.

**S**anitas evenit, reversione secretionis lacteae naturalis, reversione lochiorum, quae tunc non raro copiosa, puriformia, lactea observantur. Interdum nascuntur diarrhoeae criticae; urina copioso sedimento instruitur, sudor fit largus, vel et miliaria critica comparent.

**M**orbi alii. Huc praecipue pertinent: hydrops abdominis, ovariorum, thoracis, cranium, cutis; tumores, suppuraciones, exulceraciones externarum partium, cutis, oculorum, articulorum, glandularum; vel et internorum viscerum, uteri, ovariorum, intestinorum, pulmonum, inde phthises variae; concreciones intestinorum cum peritoneo, vel inter se, pulmonum cum pleura; unde dolores sub vario corporis situ, abnormitates in functionibus, diarrhoeae, constipationes alvinae, difficultas respirii, tusses etc. enascuntur; aegritudines animae, melancholia, mania etc.; sterilitas; debilitas totius organismi, cum sensibilitate ac irritabilitate morbose exaltata; unde abortus, et eminens in novam febrem puerperalem opportunitas.

**M**ors, praegressis pulsu parvo intermittente, facie hippokratica, haemorrhoeis, diarrhoea et sudore colliquativis, maculis in cute lividis, abdominis tympanitica tensione, sudore viscido frigido, dolorum topicorum cita imminutione; jam apoplectice, jam sen-

sim lente, jam placide, jam inter nervorum distentiones evenit.

## Effectus febris puerperalis in cadaveribus superstites.

In cadaveribus febre puerperali extinctarum reperiuntur communiter peritoneum, omentum, tubae, ovaria, uterus, intestina, non semper aequaliter, inflammata, incrasata, suppurata, gangraenosa, corrosa et erosa,

Nonnunquam partes hae vicinis accretae, vel inter se concretae sunt.

In cavo peritoneaei, intestinis, utero, inveniuntur serum sanguinis, pus, sero lacti similia flava, viridia, putrida, ichorosa liquida, cum floccis caseum referentibus; aliquando in notabili copia.

Similia cernuntur non raro in cavo pectoris, pericardio, pulmonibus, mammis, cavo cranii, parotidibus, inter musculos abdominis et extremitatum, in articulis.

Uterus, saepe contractus est, saepe expansus. — Cystis fellea bile scatens; intestina aere copioso foetido inflata deprehenduntur.

## Aetiologia febris puerperalis.

Puerperium, non secus ac graviditas et partus ad statum feminae naturalem sanum



pertinet. Ecquis enim ignorat, non paucas, mox enixo foetu, citra molestiam, consuetas obire occupationes? Nulla igitur in ipso puerperio causa febris puerperalis quaeri potest, nisi ea, quam, optimo jure, diathesim ad morbum naturalem, appellamus.

Diathesim peculiarem morbosam habent mulieres debiles, sensibiles, irritabiles; quae sordibus gastricis opportunae, animi pathematis obnoxiae sunt.

Causae excitantes saepe jam sub ipsa graviditate agunt, ut: cibi copiosi, nimis nutritives, praecipue ultimis graviditatis mensibus, cibi duri, crudi, pingves, aut potius, quibus mulier adsueta non est; spirituosae, coffeae aut chocolatae excessive assumtae; sed e contra etiam inedia; animi perturbationes, ira, moeror, desperatio, terror; vita sedentaria, aut labores corporis fatigantes; extensio ventris nimia per gemellos aut aquas collectas; constrictio abdominis; aer calidus praecclusus; abusus medicaminum, inprimis drasticorum, emmenagogorum abortivorum, venae sectionum.

Vel causae excitantes agunt occasione partus, quo pertinent: partus ipse nimis acceleratus, aut contra nimis protractus, difficilis; concussio abdominis per nixus validos; laesiones genitalium per foetum, manus obstetricis aut obstetricatoris vel instrumenta; violenta placentae separatio; haemorrhagia uteri gravis.

Post partum absolutum nocent: animi pathemata; ita habemus exempla per Frank in suo systemate Politiae medicae adnotata, puerperarum, quae, ad auditum sonum campanae, demortuis puerperis datum, in febrem puerperalem lethalem inciderunt; errores diætetici, ut fit frequenter occasione baptismi; refrigerium toti corpori aut parti solum, cum primis genitalibus aut uberibus admissum, per tractum aeris, vestimentorum incongruam permutationem, praematuram lecti derelictionem; denegata lactatio; fasciatio uberrum et abdominis nimia; lochiorrhoea; violentia abdomini illata; placentae in utero corruptio; immundities aeris et rerum ambientium; peculiaris atmosphaerae constitutio; contagium; putrescentia tunicae deciduae Hunteri.

### Theoriae Auctorum de febre puerperali.

Suppressionem Lochiorum pro causa proxima febris puerperalis habuerunt: HIPPOKRATES (de morb. mulier. et de morb. popul) SENNERT (Oper. T. 3. Lngdin. 1656) STROFHER (Critica febr. Lond. 1718) BOERHAVE (Aphorism. 1129.) MAURICEAU, ASTRUC; noviori aevo BREFELD (Allgem. medic. annal. 1803) etc.

Suppressis aut imminutis lochiis, humores in systemate uterino accumulati, inflammationem ibi, et reliqua febris puerperalis symptomata suscitant; saepius vicaria horum

in aliis organis peragitur secretio et excretio; et quidem aliquando salutaris, si extrorsum haec contingant, ut per haemorrhoides, per pneumonorrhagiam aut haematemesim; morbus tunc vix aliquis, isque brevi tantum durans, ac sponte dein cessans oritur. Imo et per lac abundantius, et quidem saepissime, et per sudorem, diarrhoeam, urinam, lochia feliciter supplentur. — Secus est, dum introrsum secretum tale dirigitur, in cavum peritonaei, pleurae, meningum etc., tunc enim metastatica viscerum ibi contentorum inflammatio nascitur, febrisque excitatur; quae idcirco a quibusdam, febris lochialis vocabatur.

Opponunt expositioni huic alii, nimium taliter restringi febris puerperalis significationem opinantes, aut penitus aliam ejus causam statuentes: quod lochia non semper initio statim febris puerperalis supprimantur, aut imminantur; quod aliquando sub toto morbi decursu fluere continent; quod naturaliter jam cessante fluxu lochiorum febris puerperalis exoriatur, quodque ab ipso nimio fluxu lochiorum excitetur. — Hinc suppressionem lochiorum frequentius febris ipsius effectum potius, quam causam statuunt.

Galactopoësim impeditam, metastasim lacteam, pro causa proxima febris puerperalis habuerunt: le ROY, PUZOS, LEVRET (l'art des accouchemens Paris 1766) DULCET, DOUBLET (Samml. auserl. abhandl.) BOERHAVE et van SVIETEN pro parte (Comment. in Boerh. aphorism) SELLE (Handb. d.

medic. Praxis Berl. 1797) MICHAELIS (Hufeland Journal d. prakt. Heilk. XIII, 2.) HUFELAND (ibid. XX, 1.) GUINOTTE (Allgem. med. Annal. Altenburg 1801) etc.

Conantur id demonstrare: quod sub febre puerperali lactis secretio vel penitus cesset, vel saltem imminuatur; quod sudor, sputa, acidum, lacteum odorem redoleant, lochia lactea evadant; quod colluvies lactea in abdomine, thorace, cranio, inter musculos, in articulis, parotidibus, sub cute reperiatur.

Dicta fuit ideo febris lactea maligna, degenerata; ad distinctionem a febre lactea proprie sic dicta, quae in primiparis, sed et aliis plerisque secundo usque quartum diem puerperii, dum mammae lacte turgere incipiunt, oritur; lactatione, aut excretionem vicaria benigna per lochia, diarrhoeam, sudorem, urinam etc. contingente, mitis est, ephemera.

Opponunt alii, quod in febre puerperali, ubera aliquando lac ad mortem usque eadem quantitate fundant; dein, quod humor ille in febre puerperali extinctis, minime lacteus sit, verum materia puriformis, ab inflammatis membranis serosis secreta, qualis et in non puerperis mulieribus, et in virginibus et in viris, ut casus adducunt: VAN SVIETEN (Comment. §. 75.) LIEUTAUD (Hist. anat. med.) MORGAGNI (Epist. anat. med.) FRANK (Epitome) reperitur.

Experimenta chemica cum latice hoc a HERMBSTAEDT (Selle beiträge etc. III, 92.) et

JACQUIN (Boër natur. med. obstr.) instituta, resultata non penitus aequalia habuerunt; ideo illa, pro sua quivis opinione explicat.

Illud sane non implicat, quominus lac ex uberibus ad peritoneum aliaque viscera abdominis, ac ad quamcunque corporis partem, deportari possit; sive vasorum lymphaticorum mechanico vitali, sive nervorum dinamico vitali actione id peragatur. Ipse latex tum, nonnunquam vero prius, e quo lac in uberibus praeparatur, et qui insigni quantitate in puerperis praesens, in sanguine misso, crustam lacteam dictam, crustae phlogisticae similem, tantum minus firmam efformat, ad metastasis locum dirigitur, et colluviem, saepe primo nychthemero jam ingentem, producit. Quam multiplicem vero formam induere possit, concludere licet e mutatione repentina lactis, in uberibus jam parati, post animi pathema vehementius, ut lethiferum quoque, pro neonato, evadat.

Attamen, humorem illum, verum lac non esse, quivis facile concesserit; nec enim aliud organon, quam mamma, lac praeparare valet; et resorptum etiam e mammis lac, aliorsumque metastatice deportatum, tum per vasa devehentia, tum per admixtos aliae indolis in metastasis loco, naturaliter, aut morbose, ob inflammationem fors, excretos humores, necessario immutari debet.

Videtur proin, illis in casibus, ubi in febre puerperali, lactis suppressio aut diminutio nulla adest, colluviem illam, materia so-

la puriformis constituere; dum secus, modo exposito, ipse latex lacteus ad genesim ejus concurrat.

Quibusdam cum Burserio (Instit. med. Lipsiae 1787) incomprehensibile videtur, quomodo lochia aut lac, utpote humores inquilini et blandissimi, dira febris puerperalis symptomata suscitare possint; nisi prius corrumpantur, et ita in massam humorum resorbentur. — Sed stimulorum potentia ad partes singillativas, relativa est.

Pro gastrica febrem puerperalem habuerunt: WHITE (Behandl. der Schwang. u. Kindbet. Leipz. 1775.) STOLL (Ratio medendi T. 2.) LENTIN (Beiträge zur ausübend. arzneiw. Leipz. 1797) S. G. VOGEL (Handb. d. prakt. arzneivissensch. 2. Th. Stendal 1789) RICHTER (medic. u. Chir. Bemerk. Berl. 1813) etc.

Asserunt, ab utero sub graviditate expanso, viscera abdominis comprimi, unde digestio languens, accumulatio cruditatum in tractu intestinali, cumprimis apud tales exoritur, quae regulas diaeteticas minus observant; post partum, nisi evacuatio contingat, ab ipsa hac accumulatione febris nascitur; eo magis, si saburrae illae corrumpantur, putrescant.

Opponunt alii, febrem quidem gastricam in puerperis occurrere, nec tamen hanc proprie febrem puerperalem esse, cum in omnibus hominibus locum habere possit.

Quod symptomata gastrica, febrem quamlibet graviolem comitentur, notum est.

Inflammationem uteri pro causa proxima febris puerperalis habuerunt: PLATER (Prax. med. Basil. 1602.) JOHNSTON (Samml. auserl. abhandl.) TISSOT (Avis au peuple sur sa santé Gen. 1767) KIRKLAND (Versuch über d. Kindbettfieber Gotha 1777.)

Inflammationem Intestinorum et omenti pro causa proxima febris puerperalis habuerunt: HULME (Von d. Kindbettfieber a. d. Engl. Leipz. 1772.) LEAKE (Practische Bemerkungen über die verschiedenen krankheiten der Kindbetterinen etc. aus d. Engl. Leipz. 1775.) etc.

Inflammationem Peritonaei ejusque processuum pro causa proxima febris puerperalis habuerunt HUNTER (Tode's Biblioth.) MYLIUS, OSVALD (Hufeland Journ. XIV, 2.) FRANK (Epitome etc.) etc. — Dicebatur propterea: Peritonitis puerperalis.

E dolore fixo constanti in his partibus, laesa illorum viscerum functione, e signis praegressae inflammationis in cadaveribus inventis, ad indolem inflammatoriam febris puerperalis concluderunt.

Opponunt alii, inflammationes harum partium, saepe potius effectum esse, febris puerperalis. — Cetera, quae contra adducuntur, totam doctrinam inflammationum, justo fors latius patentem, feriunt.

Febrem puerperalem pro erysipelacea habet HOME (Klinische versuche) qui credit, morbum hunc minime adhuc notum esse. Propria, ab ipso solum observata symptomata, sunt: tumores parvi infra cutim mobiles, et tumor ac rubor dorsi manuum.

Opponunt alii, frequenter quidem sub decursu febris puerperalis erysipelas in variis cutis partibus enasci, sed hoc effectum potius esse febris ipsius.

Notantur febres puerperales epidemicae, cum primis in Nosocomiis, quae potissimum cum Exanthematibus miliari aut Scarlatina, incredibili malignitate saeviunt. Tales describunt GEOFFROY (Opusc. Soc. med. Paris) CLARKE (Duncan Commentaries Decad. 2. Vol. 5.) LEAKE, HULME, WHITE MALFATTI (Hufel. Journ. XII, 3.) JAEGER (Osiander neue Denkvürdigkeiten. 1. B. 2. St.) etc.

Specifico has contagio quidam tribuerunt, cum solis puerperis infensae fuerint, nec gravidis, eodem loco degentibus. — Alii contra in immunditie et inde nata aeris corruptione causam quaesiverunt; in genere aere tali, in quo vulneratus quivis, uti puerpera a soluta placenta considerari potest, periditaretur; vel et in contagio, quod tamen a contagio Typhi nervosi aut putridi alienum non esset.

Vigente systemate Brownii, initio HORN (Archiv für medic. Erfahr. Leipz. 1801.) MARCUS (Magazin für specielle Therapie etc. Jena 1803.)



1803.) febrem puerperalem semper pro asthenica, cum locali affectione viscerum abdominis, in eminentiori quam ceterarum partium sit, debilitate, consistente, habuerunt. Vocatur ideo Typhus puerperalis. — Tardius iidem HORN (Neues Archiv X. B.) et MARCUS (Entwurf einer speciellen Therapie Nürnberg 1810) febrem puerperalem potius sthenicam esse docuerunt, cum inflammatione vera peritonaei nexam. — Differentiam febris puerperalis, a non puerperali nullam admiserunt, solam, in morbis cunctis, vitalitatis quantitatem, in censum vocantes.

HOVEN Anno 1805 (Handb. d. prakt. Heilkunde) febrem puerperalem, non morbum proprium, verum Typhum tantum esse docuit; possibilitatem febris sthenicae in puerpera negavit. — E contra, anno 1810 (Versuch einer praktisch. Fieberlehre) docet: febrem puerperalem esse morbum proprium, a metastasi lactis in abdomen productum; ideo est illi febris lactea degenerata, et quidem, vel gastrica, vel sthenica, vel asthenica.

BOER (in opere citato pluribus locis) febrem puerperalem difinit: esse morbum acutum proprium, quo parata ad formandum lac in corpore materia, et verisimiliter ea etiam ex parte, quae puerperii purgamenta sistit, plerumque citra naturam in abdomen, quandoque etiam in alias partes descendit. — Circa Annum 1790 febrem hanc pro specifico morbo habuit, arcano a se detecto et divendito remedio semper debellandum. — Nunc proteiformem esse agnoscit, et dividit, in febrem puerperalem benignam non phlogisti-

cam, benignam phlogisticam, malignam phlogisticam et anomalam non phlogisticam, quo et putrescentiam uteri refert; de qua vide, ejusque signa, si potes, erue, in peculiari ejus tractatu in opere citato pag. 176. — Denominationes hae, in usitatos terminos versae, forsitan essent: febris lactea, synocha, febris nervosa, febris putrida.

AUTENRIETHII (Versuche für die prakt. Heilkunde Tübing. 1807) et JÖRGII (Handb. d. Krankheiten d. menschl. Weibes Leipz. 1809.) definitiones febris puerperalis, cum B o ë r i a n a congruunt.

SCHMIDTMÜLLER (Handb. d. medic. Geburtshülfe Frankf. 1812.) febrem puerperalem pro sui generis morbo habet; in quo alienationes semper in galactopoesi, in lochiis, in functionibus cutis et intestinorum occurrunt, una harum alienationum semper praevalente. Stricte tamen, illam solum tenet pro febre puerperali, quae a metastasibus lacteis oritur.

SVEDIAUR. (JATPIKH Halae 1812.) sub galactopyra seu febre lactea, noxas a metastasi lactea oriri solitas, comprehendit. Febrem puerperalem pro peculiari non habet, eamque solum, ut synonymon metritidis, enteritidis ac peritonitidis puerperalium asthenicarum, commemorat.

HECKER (Kunst die Krankheit. d. Menschen zu heilen Erfurt 1813.) febrem puerperalem pro morbo proprio habet, qui in in-

flammatione uteri aut alterius visceris abdominalis, nexa cum metastasi lactea, consistat.

RICHTER (Die specielle Therapie herausgegeben. v. G. A. Richter Berlin 1813.) causam praedisponentem febris puerperalis statuit plethoram abdominalem, praecipue lymphaticam; qua peculiariter acriori reddita, aut post partum per lochia ac lac non sufficienter evacuata, irritatio vasorum lymphaticorum, contractio et spasmus, ac vera inflammatio lymphatica, seu spuria, superficialis oritur. Hac inflammatione omnia viscera abdominis corripri possunt, frequentissime peritonaeum, utpote viscus pure lymphaticum. Huic nonnunquam etiam inflammatio pleurae et meningum accedit. — Febris concomitans, omnis indolis esse potest, frequentissime gastrico nervosa.

FRORIEP (Handb. d. Geburtshülfe Weimar 1814.) fatetur, naturam febris puerperalis necdum notam esse; pro constantissimo ejus signo habet, summam omnium symptomatum inconstantiam; indolem febris sibi semper asthenicam occurrisse, perhibet.

SPRENGEL, (Instit. med. T. IV. Amstel. 1814.) febrem puerperalem pro singulari ab omnibus aliis distincta habet, assumitque post Boërum vulgarem et anomalam. Vulgaris est peritonitis asthenica; metritis ab hac aegritudine aliena est. Anomala, putrida aut maligna, sine manifesto inflammationis testimonio incedens, contagio vel putrescentiae tunicae deciduae Hunteri, originem debet.

## Conclusio ex his ad indolem febris puerperalis ejusque differentiae.

Pensatis his, clare patet, omnis generis febres in puerperas cadere, idque saepe a causis levidensibus, ac praecipue regnante quadam constitutione epidemica; et has indiscriminatim, dummodo graviores fuerint, passim pro febre puerperali habitas fuisse.

Illud videlicet singularis in puerperis obtinet: quod cum variis his febribus, dolor abdominis constans, acutus, cum laesis viscerum abdominalium functionibus, junctus sit, quibus praeterea ocyus tardius, colluvies humoris proprii accedit.

Hunc abdominis statum, omnes, aut saltem plerique ab inflammatione derivant; tantum circa sedem et characterem hujus dissentiunt.

Recensita symptomata, inspectiones cadaverum, et ipsae auctorum dissensiones, demonstrant, in febre puerperali, locum non esse, ad quem inflammatio constanter dirigatur; plurimis in casibus plura simul viscera abdominis inflammata sunt; non raro viscera quoque thoracis, meninges, aponevroses etc.

Expositio, cur in puerperis viscera abdominis prae ceteris, inflammationibus pateant, mea saltem opinione, hucdum non ultra pertigit, quam quod haec viscera per gravidita-

tem praegressam et partum, reliquis magis debilitata, minori reactione vitali in puerperio polleant, unde et potentiis nocentibus facillime afficiuntur.

In casu, quo diathesis ad morbos pectoris adest, hujus viscera; in sensibilibus animique pathematibus obnoxiiis, meninges; praesente dispositione rhevmatica, aponevroses inflammantur; jam ante, jam post viscerum abdominalium phlogosim; quin haec postrema in febre puerperali, unquam desiderentur.

Uhicunque igitur, inflammatio viscerum abdominalium nulla adest, febris puerperalis assumi non potest. (Richter)

Denominatio tamen: Peritonitis puerperalis, pro synonymi febris puerperalis, ex eo pro insufficienti declarari debet, quod, ut ut plerumque, vix unquam tamen solum peritoneum, hac in aegritudine, phlogosin patiatur.

Inflammationem ipsam, tam superficialem, erysipelaceam quasi, quam et phlegmonosam; characterem porro inflammationis tam sthenicum, quam asthenicum esse posse, e dictis ultra elucescit; quos diversos status, e causis praedisponentibus, occasionalibus, indeque posita indole febris concomitantis, nunc breviter repetendis, determinare necesse est.

Ad characterem gastricum concludimus: e regnante constitutione epidemica aut endemica gastrica, ex anni tempore huic favente, ut autumno; si causae generandae saburrae faventes praecesserunt; excessus in esu aut potu, vita sedentaria: tunc aderit nausea, vomituritio, vomitus, constipatio alvina aut diarrhoea foeculenta, lingua sordida mucosa, flava, sapor oris depravatus, sitis; cum generalibus febris et inflammationis abdominalis symptomatibus.

Advertendum est, hanc febrem puerperalem frequentem esse; talis regnavit tempore Stollii, Vogelii, Richteri, pura tamen raro occurrit; et aliquo tempore perdurans, aliae indolis febres ipsa prognerat.

Ad Synocham, et inflammationem localem sthenicam concludimus: e regnante constitutione epidemica inflammatoria, e regnante constitutione endemica simili, ex anni tempore, huic praeprimis affectioni favente, ut est hyems et ver; porro, si aegrota juvenis, antea sana et plethorica sit, hinc primipara; si causae morbi excitantes fuerint spirituosa aut aromatica assumpta, lochia repente suppressa; tunc evolventur plura aut pauciora symptomata synochae, ut: cutis praecipue faciei rubor, calor, siccitas, capitis gravitas, rubor et sensibilitas oculorum, pulsus frequens fortis, duriusculus, plenus, sitis, appetentia acidorum, appetitus cibi deletus, urina flammea, alvus abstipa, lingua muco albo obducta, quibuscum junctus est abdominis dolor fixus, major minorve.

Singulariter notandum venit, has febres omnium rarissimas esse, indubie tamen, ultimis ab hinc annis frequentiores certis in locis occurrisse, ut HORN Berolini, MARCUS Bambergae, NEGELE Heidelbergae observarunt, et descripserunt; porro statum hunc inflammatorium paucis tantum diebus durare, tum in alios, mox memorandos status transire.

**C**h a r a c t e r n e r v o s u s cognoscitur: e constitutione regnante epidemica aut endemica nervosa; e complexione aegrotæ tenera, irritabili, sensibili; si causae excitantes fuerint: terror, tristitia, atmosphaera corrupta nosocomialis, contagium febris nervosae, inedia, haemorrhagia profusa, praegressa febris inflammatoria aut gastrica; tunc initio morbi erit aegrota summe irritabilis, sensibilitas exaltata, pulsus irregulares, adveniunt spasmi, deliria, cum doloribus abdominis, in genere symptomatum omnium inconstantia; circa finem vero morbi, indifferentia, torpiditas.

Febris haec ad frequentiores pertinet; epocha Brownii indubie grassabatur.

**C**h a r a c t e r p u t r i d u s cognoscitur: e regnante constitutione epidemica aut endemica putrida, ex anni tempore huic favente, ut est aestas; si causae excitantes sint: sordes gastricae putridae, aer nosocomialis corruptus, contagium febris putridae; tunc initio morbi aderunt aliqua symptomata synochae, sed brevi adveniunt: summa debilitas, laxitas solidorum, dissolutio fluidorum, haemorrhoeae, diarrhoea, sudor profusus, pe-

techiaie, cum symptomatibus localis inflammationis abdominalis.

Febris haec in Nosocomiis male coordinatis, olim praecipue saeviebat.

Quod complicationes semper locum habeant; ipsa proin symptomata diversa esse debeant, vix commemorare opus est.

Sed jam quaeri potest: daturne igitur discrimen inter febrem puerperalem, et non puerperalem; et in quo illud positum est? — Si febris puerperalis propriae indolis aque aliis cunctis distincta esse debet, tunc fundamentum ejus in functionibus puerperae, quatales, alienatis, quaerendum erit. — (?) Functiones puerperae propriae, hucdum demonstratae, saltem finales, sunt: ordiens lactis praeparatio et lochiorum fluxus. Sed hae functiones certo non sine peculiari organorum digestionis, chylicationis, sanguificationis, respirationis, vasorum lymphaticorum, systematici cutanei, nervorum abdominalium, cerebralium etc. modificatione peraguntur; sensibus haec pro parte percipiuntur; ideo, totus organismus puerperae, aliter constitutus est, ac alia quacunque vitae periodo; unde et morbus quilibet universalis, in puerperam cadens, peculiaris et proprii decursus esse debet. — Cujus igitur partis alienatio fundamentum febris puerperalis continet? — Auctores jam hoc, jam illud statuunt. — Hinc multilateralis esse debet febris puerperalis consideratio, — hodie; donec primum omnium principium inventum, et — unanimi consensu acceptatum fuerit.



## Prognosis febris puerperalis.

In genere prognosis febris puerperalis ea est, quae inflammationum et febrium. Pauci attamen morbi, tanta semet malignitate notavere.

Pleraeque, quas nobis Hippokrates notavit, item aliae, ab aliis posthac, vario licet nomine, memoratae febres puerperarum, lethales vix non omnes fuerunt. Apud Leake ex novemdecim tres supra decem, mortem intulere; apud le Roche inter senas quatuor. Londini, quodam in hospitio a triginta puerperis, febre epidemica aegris, intra novem hebdomadas nonnisi duae servabantur. In Parisiensium valetudinario (Hotel-Dieu) vix una evasit a vigenis. Atque nunc inter septem ibi hac miseria decumbentes, nisi modestus citra verum rumor est, ex ordine quatuor pereunt. (Boër.)

Quomodocunque curaveris, ex quatuor generatim duae etiamque tres moriuntur. (Hunter.)

Feliciores se fuisse perhibent: STOLL, BOËR, BENEDICT, RICHTER, MICHAËLIS, AUTENRIETH etc., qui gravitatem morbi minime negantes, adhibitis tempestive ab ipsis propositis remediis, omnes, aut saltem plerasque febres puerperales sanavere.

Dependet quippe febris puerperalis exitus, ab indole ipsius febris, ab organo prin-

cipaliter affecto, a gradu morbi, tum a circumstantiis, quibus aegra exposita est; quibus omnibus rite perpensis, prognosis superstructa esse debet.

Debiliores, tenerae mulieres, animi pathematibus deprimentibus jam antea obnoxiae, morbo facillime succumbunt.

In Typho nervoso aut putrido plene evoluta, prognosis, nisi pessima esse potest. Febris gastrica et sthenica, initio morbi, medela debita, saepe facile sanantur.

Quo plura, et nobiliora viscera inflammatio tenet, eo periculum majus; hinc si encephalitis aut inflammatio plexuum gangliorum accedat, maximum.

Si causae nocentes, agere continent, ut in nosocomiis miasma, et in genere, ubi indicatio omnis curae effectui dari non potest, vel ob ignorantiam aut negligentiam morbus perverse tractatur, mors ferme certa est.

Ad symptomata quoque singularia in prognosi febris puerperalis attendendum.

Si pulsus non nimis celer et nimis parvus sit, caput liberum, delirium nullum, si aegrotata faciem alienatam non habeat, periculum tantum non est, etsi symptomata cetera malum indicent; contra pessimi ominis sunt: delirium, cum alienata multum facie, metum exprimente, aspectu torvo.

Magnum adest periculum, ubi abdomen inter anxietates et inquietudines tympaniticum fit.

Bona signa sunt: dolores pedetentim disparentes; pulsus plenior et lentior: cessatio obnubilationis capitis aut deliriorum, facies hilarior,

Diarrhoea salutaris est, si cum levamine omnium symptomatum et malorum juncta sit; e contra, si dolores et expansio tympanitica abdominis augeantur, cum anxietate, alienatione faciei, tunc periculum instans portendit. — Idem obtinet de sudore.

Parotitis utplurimum mali ominis.

Exanthemata critica et symptomata notantur.

Ad salutaria signa pertinet, si lochia et lac revertantur, aut plane non supprimantur.

Non desunt exempla, ubi aegrotae praeter omnem spem convaluerunt; et contra, ubi sub spe optima, obierunt; ideo in prognosi cautela summa opus est.

E morbis post febrem puerperalem residuis, optimae notae sunt, suppurationes et exulcerationes in externa corporis superficie; hydropes aliquando curam admittunt; indurationes, concretiones internarum partium et phthises rarissime sanantur.

## Therapia febris puerperalis.

Dum scopo febrem puerperalem praecavendi, et jam praesentem persanandi, alii purgantia, venae sectiones, dietam tenuem commendant; condemnant alii has methodos, et regimen calidum ac diaphoretica, alii regimen frigidum et antiseptica; hi stimulantia, roborantia et nutrientia, unice proficua esse asserunt, observationibusque ac experienciis confirmare conantur.

Omnes hi auctores, de febribus puerperalibus ab ipsis observatis et curatis, vera docere potuerunt; error in eo solum versatur, quod doctrinae suae universalitatem tribuerint.

Indoles febris puerperalis varia, ut expositum, curam quoque tam prophylacticam, quam therapeuticam, variam desiderat.

Cura prophylactica, in causarum febris puerperalis aversione posita, tunc praecipue institui debet, dum febris puerperalis epidemice regnat, aut saltem frequentius observatur; porro apud irritabiliores et sensibiliores mulieres, quae majorem ad hanc dispositionem possident. — Huc autem pertinet: cura gravidarum, parturientium et puerperarum.

In graviditate principaliter regulae diaeteticae observentur, constitutioni et consuetudini mulieris accomodae. — In genere

cibi facilis digestionis, pro potu aqua pura, motus corporis moderatus, labores domestici, aer purus, hilaritas mentis, conveniunt. — Medicamenta, nunquam sine necessitate exhibenda. — Si, quod frequenter, obstipatio alvi adsit, et calor ac rubor faciei, sensus ascendentis sanguinis versus caput, tunc diaeta tenuis vegetabilis solum convenit; evacuatio alvi procuranda enematis aperientis ope, aut lene purgans exhibendum; quo non obstante, si dolor capitis, calor ac rubor faciei continent, mulier vero secus sana, plethorica et robusta sit, etiam venae sectio institui debet. — Debilioribus, diaeta nutriens, facilis digestionis, et pro potu vinum, moderata quantitate indulgendum.

Occasione partus, exclusio tam ipsius foetus, quam secundinarum, nullo modo praecipitari, lenissimis tamen auxiliis, secundum regulas obstetriciae, promoveri debet.

Puerpera, ubi possibile sola lactet; secus curandum, ut lac ex uberibus evacuetur. Ad refrigerium evitandum, temperatura cubilis aequabilis esse debet; cavendum a praematura et incauta vestium ac lectisterniorum permutatione; ad ubera quoque et brachia, occasione lactationis, ne frigido aeri exponantur, attendendum; ideo etiam, puerpera nimis calide, sub lectisterniis fors gravibus plumaceis, jacere non debet, tunc enim refrigerii metus maximus est. Abdomen, post partum nunquam fortiter constringendum. Quies corporis et animi requiritur; hinc visitationes dissvadendae sunt. Mundities aeris

summa sit, praecipue, quamdiu lochiorum fluxus perdurat; ideo aer saepius renovandus, cum attentione singulari, ne tractui aeris puerpera exponatur. In casu obstipationis alvinae, enema rursus convenientissimum est, vel propinantur purgantia mitia, oleum ricini aut salia media.

## Cura therapeutica.

Evoluta febre puerperali, quoniam in morbo peracuto, periculum in mora est, per promptum et attentum examen status morbi determinari debet; proinde causa illius excitans, sedes et indoles inflammationis et character febris concomitantis; secundum quae, sequentes in Therapia aegritudinis hujus indicationes sponte fluunt, videlicet: indicatio causalis, indicatio inflammationis et febris concomitantis.

## Indicatio Causalis.

Suppressione secretionis lacteae, pro causa morbi adinventae, revocatio lactis ad ubera requiritur. — Eo fine ubera calide servanda, infans saepius mammis admovendus, vel persona adulta suctionem peragit, aut instrumentorum, vel optime catulorum ope haec perficitur. Juvat fomenta, interdium humida tepida, refrigerium solerter impediendo, noctu sicca e herbis aromaticis, salvia, mentha, origano, floribus chamomil-

lae, sambuci, speciebus aromaticis etc., parata, mammis apponere, et vapores ex infusis horum medicaminum ad eas derivare; cum emolumento quoque cucurbitae siccae uberibus applicantur.

Svadent quidam, haec omnia eousque continuanda esse, donec scopus obtentus non fuerit, etiamsi mammae inflammarentur. Monent tamen alii, per haec nimis sollicite, et diu instituta, metum in puerpera excitari, et ubi ex salutari naturae instituto, aliud organon excretorium, vicariam uberum functionem suscepit, revocationem lactis ad ubera nec succedere, nec necessariam esse; ideo tunc, excretio per illa organa promovenda, aut saltem sustentanda venit.

Etiam tunc, dum impedita lactis praeparatio febris effectus est, methodi dictae conveniunt; tantum in casu typhi gravis, ubi ab hac quoque evacuatione, jacturae virium vitalium metus est, contraindicantur.

Ubi suppressio lochiorum, ansam morbo praebuit, ad fluxum horum restituendum, varia adhibenda erunt remedia, ut: injectiones tepidae emollientes, e herba althaeae, malvae cum aqua aut lacte paratae, clysmata similia, cataplasmata aut vapores ad genitalia, pediluvia tepida. — Quodsi ob indolem inflammationis praesentis, hoc in casu venae sectio requireretur, haec in pede institui debet, topicae vero sanguinis evacuationes in labiis pudendorum majoribus, aut interna superficie femorum.

Si refrigerium admissum, causam febris puerperalis constituit, regimen calidum requiritur; simul exhibentur diaphoretica: Infusum florum sambuci, chamomillae, acetas ammoniae, sal ammoniacus, camphora cum nitro; commendantur etiam pulvis Doveri et antimonialia. — Michaelis vesicantia partibus dolentibus applicita, in hoc casu utilissima comperit. — Sudore, cum levamine omnium symptomatum subsecuto, haec remedia ad finem usque morbi continuari possunt, et non raro sola sufficiunt. — Hac in specie febris puerperalis cum primis miliaria critica comparent, magna, liquore lactescente repleta.

In casu putrescentiae tunicae deciduae Hunteri, et inde natae febris puerperalis, BOER unguentum stimulans, internae superficiei uteri, proprio a se invento instrumento, apponendum, hocque solo tantum vitam aegrotae salvari posse docet. — Tale Unguentum v. g. est sequens:

R. Ungventi elemi unciam unam  
 Balsami peruviani  
 Pulveris carbonum ana drachmam  
 unam v. duas  
 Camphorae mucilag. gummi arab. sub-  
 actae drachmam semis.  
 m. exacte detur ad fictile.

### Indicatio Inflammationis et febris concomitantis.

Praesente febre gastrica primaria, methodus medendi evacuans requiritur. Et qui-



quidem, ubi turgescencia adest superiora versus, tunc emeticum exhibendum erit, ipecacuanha, vel si alvus simul movenda foret tartarus emeticus. — Cavendum, ne fors sympathica affectio ventriculi, ut, anxietas spastica, vomiturius, ab inflammationibus viscerum producta, pro signo saburrae habeatur. — Pluribus in casibus purgantia lenia requiruntur: clysmata, salia media, folia sennae, manna, aqua laxativa viennensis etc. Per haec, saepe materia foeculenta, nigricans, summe faetida evacuatur, cum symptomatum omnium levamine; quae quamdiu perdurant, ipsa evacuantia continuanda sunt, ea tamen cum attentione, ne plures, quam 3, 4 alvi evacuationes quotidie fiant; atque his non raro tota cura morbi, absolvitur.

Ubi febris gastrica simplex non est, quod frequentissimum; sed cum synocha juncta, tunc evacuantia haec, praemissis depletionibus sanguinis exhiberi debent; praesente vero typho, tantum initio morbi conveniunt.

Quodsi aegrota sponte vomitu aut diarrhoea corripetur, evacuantia insuper exhiberi non debent; nec tamen evacuationes hae suppressendae sunt, nisi nimiae, aut a debilitate vera productae fuerint; quo mucilaginosae, ipsumque opium porrigantur.

Ubi Synocha adest, cum inflammatione sthenica, tunc methodus medendi antiphlogistica, stricte sic dicta, adhiberi debet. — In magno synochae gradu, qui tamen rarissimus est, venae sectio institui debet, ad uncias 4, 6, 10; plurimis vero in casibus,

topicae sanguinis evacuationes sufficiunt, cucurbitarum cruentarum, vel melius hirudinum ope, quorum 6, 10, 20 regioni maxime dolenti applicantur. — Status morbi subsequens indicabit, an, et in quantum iterari debeant.

Post sanguinis missiones, potentissimum remedium hoc in casu est hydrargyrosus muriaticus seu calomel, quod scopo alvum ciendi, ad granum unum, duo, omni hora, omni bihorio, cum magnesia muriae et saccharo subactum exhiberi debet, quoad una aut binae alvi evacuationes subsecutae fuerint.

His praestitis interne conveniunt: decocta emollientia, radice althaeae, seminum hordei etc., quibus, si inflammatio adsit intestinorum, salia media, cum primis nitrum, acida vegetabilia, ut succus citri, acetum, sal tartari, ad gratum utque saporem addi possunt.

Externe abdomini fomenta, cataplasmata emollientia, e speciebus emollientibus cum herbis narcoticis, cicuta ac hyoscyamo applicari debent; cum singulari cautela, ne refrigerium admittatur. — In casu inflammationis genitalium, injectiones tepidae in vaginam ipsumque uterum, praeeunte Aute-rieth cum primis e decocto cicutae, caute faciendae erunt.

Diaeta tenuis, pro potu aqua pura non nimis frigida exhibeatur; vinum et aromata noxia sunt; quies corporis et animi sit summa.

In febre puerperali nervosa, initio statim morbi, adversus inflammationem, topicae sanguinis evacuationes faciendae erunt; tardius, saburris praesentibus, emeticum ex ipecacuanha, aut alvum ducentia clysmata, aut interna talia, quae minus debilitant, ut jalappa, rheum, cum muriate hydrargyri miti exhibeantur. — Tum ad resolutionem inflammationis procurandam, calomel cum opio aut extracto hyosiami, per nychthemeron ad unam quartam partem grani, granum semis, granum unum exhiberi potest. — Morbo jam aliquo tempore perdurante, haec adhiberi non possunt.

Abdomini, fomenta, cataplasmata, e herbis narcoticis, cum speciebus aromaticis parata, similes in uterum injectiones commendantur. — Etiam linimentum volatile, solum, vel cum camphora aut tinctura anodyna, abdomini, leniter inungere, convenit.

Quod curam febris ipsius attinet, quoniam hic initio semper irritabilitas et sensibilitas exaltata cum debilitate vera subversatur, aegrotata ab impressionibus fortioribus tutanda est, lux, strepitus, arceri, motus corporis et animi impediri debent. — E remediis internis, infusum valerianae, arnicae, serpentariae; camphora, spiritus aetherei; in majori morbi gradu, castoreum, ammonia, moschus, indicantur.

Externe prosunt balnea tepida, stimulantia, revellentia, vesicantia ad nucham, sinapismi ad suras et ipsas partes dolentes applicita.

Inprimis sinapismi in femorum parte interna et superiori usque cutis rubedinem adpliciti, efficaciae sunt testante Benedict summae; si nimirum plagae rubentes relictæ unguento quodam irritante, aut per ipsum adhiberi solito seqti:

R. Ungventi althaeae  
 — basilici ana drachmas sex  
 Tartari emetici drachmam unam  
 vel unam et semis  
 M. D. S. Pro usu externo.

in suppurationem perducantur, et in hac usque plenariam febris cessationem, aut et ultra detineantur. Similium ulcerum artificialium efficaciam summam expertus est in omni febre puerperali, cujuscunque illa fuerit indolis, cujuscunque characteris.

Diaeta sit nutriens, facilis tamen digestionis; jus carniū, carnes tenerae conditae etc. pro potu aqua pura cum vini parca quantitate.

In febre puerperali putrida vix unquam, et tum in primo morbi exordio, evacuationes sanguinis institui debent; ita emetica ac purgantia raro conveniunt.

Indicatio principalis est, vires vitales erigere, dissolutionem ipsam humorum impedire. E remediis internis, cortex chinae raro perfertur, secus omnino indicatus; praestantissima vero sunt acida mineralia, cumprimis spiritus vitrioli, aut liquor acidus Halleri, decoctis emmollientibus, aquae purae, vel infu-

sis aromaticis, ad gratam usque aciditatem admixta.

Externe sinapismi, lotiones corporis cum aceto aromatico, spiritu vini camphorato, aut aromatico; fomenta tepida ex infuso vinoso specierum aromaticarum ad abdomen; clysmata stimulantia; injectiones in uterum ex infusis aromaticis, aut potius decocto corticis quercus vel chinae, quibus parva quantitas spiritus vitrioli addi potest.— Ubi abdomen tympanitice extensum est, cucurbitae siccae eidem imponendae commendantur.

Diaeta stimulans nutriens, jus vinaceum aut carniū cum aromatibus, pro potu vinum generosum.

In magno typhi gradu phosphorum, — praeterea Naturae philosophi, e practicis MARCUS, etiam aquam et oleum laurocerasi, ut efficacissima commendant; cui consilio, tantummodo, in casu summe ancipiti obtemperandum, judico.

Exorta colluvie lymphatica, seu hydrope in quopiam cavo corporis, phlogosi vero, et febre mitigatis, evacuatio liquidi hujus instituenda est.— Opus hoc, natura, per colatoria corporis naturalia, non raro ipsa peragit. — Advertendum igitur est, quam via collectus humor sibi paret exitum. Sive per vias urinarias, sive per sudorem, sive per alvum evacuatio fiat, quies, temperatura media, conveniunt; lenibus diureticis, diaphoreticis et purgantibus naturae hoc opus

sustentari et promoveri potest; cum attentione tamen, hoc in casu praecipue, singulari.

Torpore vasorum lymphaticorum existente, ad resorptionem liquidi illius exstimulari possunt: ipecacuanha, tali dosi exhibita, ut nauseam solum excitet; antimonialibus, praecipue refracta dosi tartari emetici, mercurialibus, optime calomele.

His nihil proficuis paracentesis, loco, quem colluvies ipsa optime indicabit, commendatur.

Metastases ad externam superficiem corporis factae, nominatim erysipelas, saepe fomentis siccis, calidis, aromaticis resolvi potest; tumores vero inflammatorii, maturandi et aperiendi; ulcera mundanda, nec prius consananda sunt, quam febris ex toto cesserit.

Superata febre puerperali, haec facillime recidiva fit, qualis in genere pejoris indolis est, ac prima fuerit, et ut plurimum morte terminatur. — Summa igitur cura convalescentis e febre puerperali haberi debet. Refrigerium solertissime vitandum; obstructio alvi non diu permittenda; cum primis vero animi omnes commotiones graviores impediendae, quae frequentissima causa recidivarum esse solent. — Cura autem ipsa talium febrium secundum jam proposita principia peragitur; ideo non raro evacuationes sanguinis quoque requirit.

Remanens post febrem puerperalem debilitas, usu chinae, quae tamen raro perfertur, lichenis islandici, diaeta nutriente, usu moderato vini generosi, antiqui, tollitur.

Regimen psychicum dimidiam Therapiae partem efficit. — Ad spem, confidentiam et amorem quidem totum reducitur; vix tamen verbis, specialius, ipsa horum procuratio, edisseri potest. — Eleganter, ut solet, hoc objectum pertractat ELIAS a SIEBOLD: *Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Frauenzimmer Krankheiten*. Frankfurt am Main 1811 T. 1. pag. 111. et sequ.; cuius classici operis partem ultimam, de morbis puerperarum, avide praestolamur.



# T h e s e s.

---

1. In Oryctognosia, characteres externi praecipui sunt; haud tamen soli sufficientes.
2. Existit affinitas chemica electiva reciproca.
3. Ventriculi cerebri omnes simul (excepto ventriculo septi lucidi) cum sulco medullae spinalis unum cavum efficiunt.
4. Coenesthesia differt a Tactu.
5. Sympathiarum causa non in solis nervis posita est.
6. Sanitas est individua; — ideo
7. Regulae diaeteticae generales paucae dantur.
8. Virginitas physica potest adesse, absente virginitate morali; et contra.
9. Per Mesmerismum (magnetismum animale) vitalitas systematis gangliorum exaltatur, systematis contra cerebri antagonisticè deprimitur.
10. Arthritis et Rheumatismus, morbi distincti sunt.
11. Prima Syphilidis origo, est hypothetica.
12. In mortibus dubiis, applicatio Galvanismi, criterium certum non suppeditat.